

nam tunc canonicus legitime absens lucratur duas partes, dempta tamen tertia. — Imprimis quidem spectato jure communi, juncto concilio Tridentino, canonici ex quacunque justa causa, obtenta tamen prius legitima licentia absentes, percipiunt distributiones quotidianas, quando universi redditus capituli in solis distributionibus quotidianis consistunt: ita tamen, ut post concilium Tridentinum, sess. 21. cap. III. *de Reform.* solummodo duæ partes ipsarum canonicis ita absentibus debeantur. Fagnanus cit. c. *Licet*. n. 124. 125. et 126. allegans multiplicem declarationem sacrae congregationis concilii. Accedit ratio, quia, ubi redditus omnes consistunt in distributionibus, tertia harum pars retinet naturam distributionum, juxta concilium Tridentinum cit. cap. III; reliquæ vero duæ succedunt in locum præbendæ. Siquidem juxta sacros canones non datur canonica sine præbenda, c. *Relatum*, 9. et c. *Dilectus*, 19. *de Præbend.* atque canonici legitime absentes lucrantur præbendam, sive fructus grossos, etsi non distributiones extra casus specialiter expressos; ergo.

208. *Idque exemplificatur in duobus canonicis, qui existunt in servitio episcopi; aut, qui absunt studiorum causa.* — Hinc, quando omnes redditus capituli consistunt in solis distributionibus quotidianis, duo canonici in servitio episcopi existentes percipiunt distributiones ejusmodi: ne alioquin ipsis suum officium, atque privilegium jure communi concessum, redderetur inutile: excepta tamen tertia parte, quæ retinet naturam distributionum, ac proinde interessentibus accrescit. Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 351. et 353. allegans multiplicem declarationem sacrae congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum. Idemque esse dicendum de canonicis absentibus causa studiorum, tenet Garcias, loc. cit. n. 353, allegans declarationem dictæ sacrae congregationis, die 13 septemb. 1595. Quod ipsum, ait, procedere in canonico legente sacram Scripturam in publica universitate, ex declaratione ejusdem sacrae congregationis, 2 febr. 1597, et aliis hujusmodi casibus.

209. *Habens ex legitima dispensatione canonicatum, et ecclesiam parochialem simul, si residet in parochiali, lucratur distributiones integras, si canonicatus solum in distributionibus consistat.* — Hinc tamen excipitur casus, quo quis ex legitima dispensatione, canonicatum et ecclesiam parochialem habens, residet in

parochiali, juxta præscriptum beati Pii v. Nam talis distributiones quotidianas lucratur integras, si canonicatus consistat solum in distributionibus, non habens præbendam: prout declaravit eadem sacra congregatio, atque decrevit Papa, apud Garciam cit. cap. II. n. 115. et n. 352, asserentem, esse speciale in hoc casu, quod omnes sunt distributiones acquirantur, non deducta tertia parte: et hoc in favorem curæ animarum, et propter onus residentia parochialis. Atque conformiter istis limitanda sunt dicta superius § 3. n. 99.

210. *Canonicus absens ab Ecclesia sua ex privilegio Summi Pontificis, potest percipere distributiones.* — Deinde ex privilegio apostolico, aut novissimis constitutionibus apostolicis, plures gaudent distributionibus quotidianis. Et quidem generatim loquendo, canonicus absens ecclesia sua ex privilegio summi Pontificis, potest percipere distributiones quotidianas. Barbosa *de Canonicis et dignitat.* cap. xxiv. n. 13. allegans Geminianum n. 4. et Franchum n. 3. in cap. un. h. t. in 6, pluresque alios. Privilegium enim non residendi in aliquo canonicatu a Papa concessum, idem operatur, ac si canonicus vere resideret, arg. c. *Cum dilectus*. 14. et c. *Ad audientiam*. 15. h. t.; Barbosa cit. n. 13. et alii. Nam ad Romanum Pontificem pertinere plenariam ecclesiarum, personatum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum dispositionem, textus est in c. *Licet Ecclesiarum*. 2. *de Præbend.* in 6. et Clem. 1. *Ut lite pendente*, etc. Episcopus vero non potest aliquem excusare a residentia in choro, nisi in casibus a jure expressis. Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 406. et 407, referens declarationem sacrae congregationis concilii. Barbosa, ubi supra, et alii.

211. *Ut auditores Rotæ Romanæ.* — Hoc ipsum exemplificatur, atque declaratur loquendo de nonnullis in specie. Sic quippe auditores Rotæ Romanæ percipiunt fructus, et distributiones suorum beneficiorum in absentia, ac si actualiter interessent officiis divinis. Ita concessit eisdem Clemens VII. in sua constitutione 13, quæ incipit: *Convenit*, et habetur tom. I. *Bullarum Romanæ*. Id ipsum tradit Barbosa cit. cap. xxiv. n. 1. et part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53, n. 155, cum aliis.

212. *Inquisitores hæreticæ pravitatis; et quomodo? Collector generalis cameræ apostolicæ, subcollector, etc.* — Similiter inquisitores hære-

ticæ habentur in suis præbendis, et dignitatibus, pro præsentibus et interessentibus: non quidem spectato jure communi, sed per specialia Indulta apostolica, ab uno quinquennio ad aliud renovanda. Garcias, c. part. III. cap. II, n. 356, referens declarationem sacrae congregationis concilii; Barbosa d. allegat. 53, n. 156. allegans alios. Ubi pariter n. 157, subjungit aliam concessionem Sixti V. die 8 maii 1590, factam, vi cujus collector generalis cameræ apostolicæ, subcollector, advocati, procuratores, fiscales, et notarii in causis spoliatorum, eorum officio durante, lucrantur distributiones quotidianas in absentia.

213. *Canonici missi ab ipsorum episcopo ad Limina Apostolorum ejus nomine, vel comitantes episcopum ad eadem, lucrantur distributiones.* — Rursum canonici missi ab ipsorum episcopis ad *Limina Apostolorum* eorum nomine, vel comitantes ipsos episcopos ad eadem Limina, distributiones lucrantur ex decreto S. D. N. Sixti V. Ita declaratio sacrae congregationis concilii, quam his ipsis verbis refert Garcias cit. part. III. cap. II. n. 349. Idemque docet Fagnanus c. *Licet*. n. 134. vers. *Fallit sexto, de Præbend.*; Barbosa d. allegat. 53, n. 159. et alii, quos citat.

214. *Canonici absentes possunt percipere distributiones in absentia, quando eis in statuto Ecclesie, per Sedem apostolicam confirmato indulgetur. Vel quando ad hoc habent indultum apostolicum.* — Insuper canonici possunt percipere distributiones in absentia, quando eis ex statuto ecclesie per Sedem apostolicam confirmato, indulgetur, ut absentes in aliquo casu participent de distributionibus quotidianis. Idemque dicendum, si canonici habeant Indultum apostolicum vacandi a servitio Ecclesie, et nihilominus percipiendi distributiones. Fagnanus d. c. *Licet*, n. 132. et 133. *de Præbend.* Accedit ratio, quia, licet concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XII. § *Distributiones, de Reform.* sustulerit quæcunque statuta, et consuetudines percipiendi distributiones in absentia, contra decretum Bonifacii III. *retractum* cap. un. h. t. in 6, non tamen sustulit privilegia apostolica per Sedem apostolicam confirmata ex certa scientia, ut cum causæ cognitione. Idque propter duplex vinculum: uti notat Glossa in Clem. *Dudum*. 7. *Facta, de Sepultur.* citans Joan. Monachum, et Fagnanus cit. c. *Licet*, n. 59. et n. 132. ac seqq.

215. *Canonici obtinentes præbendam theolo-*

galem lucrantur distributiones diebus illis, quibus actu legunt; quod tamen limitatur. — Tandem, ut nonnulli alii casus taceantur, de quibus doctores hactenus citati, canonici obtinentes præbendam theologalem non solum possunt percipere fructus grossos sui beneficii, quandiu in scholis docuerint, cap. ult. § *Docentes, de Magistris*, juncta declaratione sacrae congregationis, quam refert Fagnanus d. c. *Licet*, n. 114 et 115. Sed etiam diebus illis, quibus actualiter legunt, habendi sunt sicut præsentibus in choro, et interessentibus; sicque lucrantur distributiones quotidianas; prout declaravit Gregorius XIII. teste Fagnano loc. cit. n. 116 et 169. et Garcias cit. part. III. cap. II. n. 120 et 121. Quamvis iste n. 122. subjungat, hanc gratiam non competere indiscriminatim omnibus (jure enim communi spectato, oppositum foret dicendum, arg. cap. ult. juncta Glossa 7. *Integre, de Magistris*) sed illis duntaxat, qui ipsam a sacra congregatione specialiter petierint, atque impetraverint. (ADNOTATIO XLVII.)

TITULUS V.

De Præbendis et Dignitatibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — De bonis clericorum internis tam animi, quam corporis, eorumque officio tractarunt priores tituli: nunc agendum restat de ipsorum bonis externis, nempe de præbendis et dignitatibus, seu beneficiis ecclesiasticis, ex quibus debite residendo, seu eisdem deserviendo, honestam suam sustentationem habere valeant, juxta illud I. Corinth. ix, 13: *Qui alteri deserviunt, cum altari participant*: ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare, vel negotiari cogantur. Quia vero præsens titulus amplissimam contineat materiam, de qua plenos libros quidam ediderunt, ne sollicitas ipsius confusionem pariat, operæ pretium erit, eundem in diversos paragraphos dividere.

§ I.

DE NATURA PRÆBENDÆ, AC BENEFICII ECCLESIASTICI, HUIUSQUE REQUISITIS.

2. *Præbendæ nomen sumitur multipliciter.* — Quæritur I. Quid nomine Præbendæ intel-

ni tur, præsertim in rubrica hujus tituli? Resp. I. Nomen *Præbendæ* sumitur multipliciter: uti notat Glossa c. *Cum M. Ferrariensis*. §. *Receperint*. et Abbas, ibid. n. 22. et Felinus, n. 13. de *Constitut.*; Gonzalez, ad reg. 8. *Cancellar.* Gloss. §. 1. n. 1. et seqq.; Vallensis, h. t. §. 1. n. n. et alii. Primo siquidem præbenda potest singulariter considerari, ac prout est separata a jure spirituali ipsius canonicæ: et hoc modo præbenda consistit in mera temporalitate honorum, quæ cuiquam debentur ex redditibus Ecclesiæ propter aliquod officium. Unde in hac acceptatione etiam laicus, puta advocatus, procurator, vel musicus Ecclesiæ, est capax præbendæ; potestque dici præbendatus, quamvis nequeat esse canonicus. Glossa, Abbas, Felinus, ubi supra. Gonzalez. n. 6. Anton. Nebrissensis in *Vocabulario juris*, §. *Præbenda*. et alii. Veram hæc acceptatio non est ad nostrum propositum, ubi sermo est de Præbenda, prout est jus quoddam spirituale, atque individuum; uti appellatur c. *Dilecto filio*. 25. §. *Præterea*. h. t. et alibi.

3. Secundo igitur præbenda accipi solet pro canonica portione, seu pro fructibus annuis, sive grossis, qui de communi bonorum, proventuumque ecclesiasticorum massa sumuntur, et propter spirituale ministerium, sive ratione annuæ residentie in loco canonicatus, *Præbentur* singulis canonicis pro sua portione. Unde et *Præbendæ* nomine indignantur: atque non raro etiam dicuntur *Fructus præbendæ*, vel absolute *Præbenda*, prout fit in c. *Dilectus filius*. 19. h. t. ibi: « idem fructus præbendæ percipere non deberet. » juncto c. *Cum M.* 9. de *Constitut.* ibi: Antiquis canonicis præbendas cum integritate percipientibus, » et alibi.

4. *Et quid sit proprie loquendo?* — Tertio, et proprie, magisque stricte loquendo, *Præbenda* est jus ipsum spirituale, pro canonico institutum ad utendum, et fruendum rebus, atque juribus ad hoc deputatis, et recipiendum atque administrandum ea ratione officii, seu canonicæ. Ita Abbas cit. c. *Cum M.* n. 22. et Fagnanus, ibid. n. 27. de *Constitut.* et alii. Additur notanter, « ratione officii, seu canonicæ: » siquidem jus istud ex *Canonica* (quæ est jus, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in fratrem, sive canonicum) ejusque officio, descendit tanquam sequela: quia, ex quo aliquis habet canonicam, seu officium, debet habere præbendam, seu

beneficium; prout dicitur c. *Relatum*. 9. et c. *Dilectus*. 19. h. t. cum similibus.

5. *Præbenda, qualiter accipiatur in rubrica hujus tituli?* — Resp. II. Nihilominus in proposito, atque in rubrica præsentis tituli, *Præbenda* sumitur non specificè pro sola præbenda cathedralis, vel collegiatæ Ecclesiæ; sed generice pro omni beneficio ecclesiastico, saltem inferiori. Ita Barbosa ad rubric. h. t. n. 6; Pirhing, h. t. n. 1; Vallensis, eod. §. 1. n. 1. et alii. Idque patet ex c. *Referente*. 7. et c. *Cum non ignores*. 15. et c. *Tuis questionibus*. 23. h. t. cum similibus hoc titulo passim occurrentibus, et in quibus de beneficiis generaliter agitur. Accedit can. *Si quis dator*. 1. q. 3. ubi indistincte dicitur, quod « Dei Ecclesias, vel ecclesiastica beneficia, quidam præbendas » vocant. Concordat textus in c. *Quia in tantum*. 5. h. t. et c. *Tua nobis*. 32. de *Verb. signif.* Quo tamen non obstante ly, *Præbenda*, prout accipitur in præsentis rubrica, merito restringitur ad inferiora beneficia, ne altera ejusdem pars, nimirum ly « et Dignitatibus, » superflue videatur. Occasione cujus

6. *Beneficium ecclesiasticum, quid?* — Quæritur II. Quid sit beneficium ecclesiasticum? Resp. I. Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, personæ ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum. Ita Barbosa, lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. iv. n. 8; Vallensis, h. t., §. 1, n. 3; Engel, eod. n. 1; Zæsius, n. 2; Sannig, cap. 1, n. 4; Layman, lib. IV. *Theolog. moral.* tract. II. cap. 1. n. 1; et in re communis. Nisi quod Navarrus de *Redditi. ecclesiast.* quæst. 1. monit. 55. n. 4. addat ly, « Jus perpetuum in se, vel quoad recipientem: » alii vero, et signanter Garcias, part. I. de *Beneficiis*. cap. II, n. 2. et 65. et Pyrrhus Corradus, in *Praxi Beneficiaria*. I. I. cap. 1. n. 1. omittant ly, *perpetuum*, juxta dicenda n. 8.

7. *Est jus spirituale.* — Dicitur in primis, *Jus*. Quod intellige de jure spirituali, propter connexitatem, ac dependentiam a spirituali: quin nimirum præsupponit clericatum, et datur propter officium, seu ministerium sacrum. Alioquin enim jus percipiendi fructus, utpote res temporales, in se foret temporale quid: sed in proposito, veluti connexum spirituali, censetur spirituale. Concordant dicenda inferius n. 11.

8. *Et quidem perpetuum. Differt beneficium*

per hoc a pensione. — Et additur, *perpetuum*. Quamvis enim nonnulli Auctores hanc particulam omittant; ut Garcias cit. part. I. de *Beneficiis*. cap. II. n. 65. et seqq. asserens cum quibusdam aliis, a se citatis, quod non sit de essentia beneficii, esse perpetuum: tamen idem Garcias paulo inferius, seu n. 79. quamdam in beneficio ecclesiastico requirit perpetuitatem, saltem aptitudine. Cæteri vero doctores passim tradunt, de natura, atque essentia beneficii ecclesiastici esse, quod sit perpetuum: idque merito; tum quia per hoc differt beneficium essentialiter a pensione: nam pensio non confertur in perpetuum, sed solummodo ad vitam gravati, vel ad summum ad vitam pensionarii: eoque mortuo cessat, et extinguitur. E contra vero de natura beneficii ecclesiastici est, ut semel legitime institutum, perpetuo duret: unde obitu beneficiarii non extinguitur, neque cessat; sed dicitur vacare, donec rursus alteri conferatur. Azorius, part. II. l. II. quæst. 2. §. *Ex his*. et alii.

9. *De essentia beneficii ecclesiastici est, ut conferatur in perpetuum.* Ly, *perpetuum, quomodo hic sumatur?* — Deinde, quod de essentia beneficii ecclesiastici sit, ut non conferatur ad certum duntaxat tempus, sed in perpetuum (hoc est, ad totam vitam beneficiati, arg. l. I. ff. *Pro socio*; ubi in simili dicitur, quod « societas coiri potest, vel in perpetuum: id est, dum vivunt, » etc.) desumitur ex can. *Sanctorum*. dist. 70. ibi: « In qua Ecclesia quilibet intitulatus est, in ea perpetuo perseveret. » Id ipsum confirmat textus in cap. un. juncta Glossa §. *Perpetui. de Capell. monach.* in 6. atque tenet Abbas, consil. 46. n. 1. lib. II. dicens, proprium esse beneficii ecclesiastici, ut sit perpetuum quantum ad eum, cui confertur. Joan. de Selva *Tractatum*, tom. XV. tract. de *Beneficio*. part. I. quæst. 1, n. 4, asserens, tale esse proprie beneficium ecclesiasticum: atque fusissime, et ex*professo tradit Pyrrhus Corradus lib. I. *Praxis beneficiar.* cap. vi. n. 261. et seqq. Accedit ratio, quia inter Ecclesiam et presbyterum, est matrimonium spirituale, can. *Sicut in unaquaque*. 21. q. 2. ubi Ecclesia dicitur *Sponsa* vel *uxor* presbyteri: aut potius quasi matrimonium (nisi presbyter ille sit episcopus) prout late probat Fagnanus in c. *Quanto* n. 5. et 6. de *Translat. episcop.* Atqui matrimonium, ex sua natura est perpetuum: idem ergo dicendum de beneficio ecclesiastico, utpote matri-

monium, vel quasi matrimonium involvante.

10. *In beneficio ecclesiastico tria possunt distinguui: nempe, officium spirituale.* — Dicitur ulterius in data beneficii definitione, « percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale. » Quia, ut inter alios notat Vallensis h. t. §. 1. et Barbosa lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. iv. n. 9. et 10, tria in beneficio ecclesiastico distinguui possunt. Primum est, « Officium aliquod spirituale: » puta, obligatio recitandi Horas canonicas in choro, vel saltem extra illum; item obligatio deserviendi in officiis spiritualibus cuiquam Ecclesiæ, celebrandi missas, aut hujusmodi. Et istud est omnino spirituale; non tamen est beneficium, sed fundamentum et causa ipsius, hoc est juris percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis: nam « propter officium datur beneficium ecclesiasticum, » uti habetur cap. ult. de *Rescription.* in 6.

11. *Jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis.* — Alterum est, « Jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis. » Et istud jus, proprie dicitur beneficium; estque spirituale, quia oritur ex spirituali officio, ipsique connectitur, juxta c. *Cum secundum*. 16. h. t. ibi: « Cum secundum Apostolum, qui altar servit, vivere debeat de altari, » etc. junctis dictis supra n. 7.

12. *Ac ipsi fructus percipiendi ex istis.* — Tertium, sunt ipsi « fructus percipiendi ex bonis ecclesiasticis: » id est, ex bonis Deo dicatis, et Ecclesiæ donatis. Et hi sunt quid temporale, ac proinde licite venduntur absque labe simoniæ: uti patet in fructibus decimarum. Et per hoc patet ad proximo relatas particulas dictæ definitionis beneficii.

13. *Beneficium debet conferri personæ ecclesiasticæ. Ejusque collatio in personam laici facta, ipso jure est nulla.* — Rursus dicitur in eadem definitione, « personæ ecclesiasticæ: » id est saltem prima tonsura initiate. Nam alias quilibet, et ad quodlibet beneficium, inhabilis existit: adeo quidem, ut non sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari arg. c. *Ex litteris*. 6. de *Transaction.* et notat Glossa fin. et Abbas ibid. n. 3. istud limitans, nisi forsitan Papa dispensaverit cum laico, ut possit beneficium recipere, et postea primum tonsurari. Alioquin vero collatio beneficii in personam laici, seu necdum prima tonsura initiati facta, ipso jure nulla est, et invalida: nam laicus est incapax omnis juris ecclesiastici, c. *Causam*. 7. de *Præscrip-*

tion. Id ipsum patet ex c. *Cum adeo*. 17. juncta Glossa *ŷ. Nec clericus, de Rescript. et cap. II. de Institut.* estque jam dictum supra lib. I. tit. VI. *de Election.* § 9. n. 219.

14. *Beneficium debet erigi auctoritate Ecclesie.* — Dicitur tandem in definitione beneficii, « auctoritate Ecclesie constitutum, non nisi interveniente legitima auctoritate Ecclesie constitutum. » Siquidem beneficia ecclesiastica, non nisi interveniente legitima auctoritate Ecclesie (hoc est, approbatione episcopi, vel alterius prelati ad hoc potestatem habentis) constitui, seu erigi possunt; juxta Glossam in Clem. 2. *ŷ. Si beneficiorum*, in fin. *de Decimis*, a contrario sensu istud inde desumentem: ac fuse tradit Pyrrhus Corradus *de Beneficiis*, lib. I. cap. II. n. 1. et seqq. Adeo, ut antequam accedat auctoritas episcopi, non dicatur beneficium ecclesiasticum; sed pia quædam donatio, seu legatum pium. Rebuffus in *Praxi Benefic.* tit. *Quare instituta sunt beneficia*. n. 10; Pyrrhus Corradus cit. cap. II, n. 28. et 29; Gonzalez ad reg. 8. *Cancell.* Gloss. 5, n. 20; Barbosa lib. III. *Jur. ecclesiastic. univ.* cap. IV, n. 16. et seqq. allegans Rotam, decis. 361, n. 3, part. II. *Recent.* et alii passim.

15. *Et ante consensum episcopi non est beneficium, sed res stat in pendenti.* — Quandiu igitur deficit consensus episcopi, non est beneficium, sed res stat in pendenti. Barbosa cit. n. 16. Neque fundator ipsius, acquirit jus patronatus ante approbationem episcopi. Felinus c. *Ex parte*. II. 2. n. 2. *de Rescript.* Quamvis ante memoratam episcopi approbationem possit beneficium illud concedi a fundatore cuiusdam sacerdoti, sed per modum simplicis duntaxat deputationis. Lotterius *de Re benefic.* lib. I. q. 5, n. 57; Barbosa, loc. cit. n. 18. et 19, subjungens cum aliis, quod yellanæ, sub onere celebrandarum missarum constitutæ sine auctoritate episcopi, censeantur laicales.

16. *Estque pium legatum, atque laicale.* — Unde ulterius, si quis in aliqua Ecclesia certas missas, vel etiam anniversaria, sub competenti stipendio in perpetuum fundaverit, nisi approbatio episcopi accesserit, non erit beneficium; sed solummodo pium legatum, aut pia donatio. Rebuffus, Barbosa, ubi supra; Zerola in *Praxi episcop.*, part. II. *ŷ. Beneficium*. vers. 10; Engel, h. t. n. 1. Et quia tale legatum caret erectione, seu institutione ordinarii, sine qua beneficium ecclesiasticum esse suum non habet, erit quid laicale, et

temporale. Barbosa cit. cap. IV. n. 20; Gonzalez ad reg. 8. *Cancell.* Glossa 5, n. 20; Guido Papæ decis. 187, n. 1; Pyrrhus Corradus, cit. cap. II, n. 28 et 29, allegans alios, atque Rotam in una Monopolitan. Hebdomad. Vener. 14. decemb. 1612. coram Manzanedo. Accedit ratio, quia nullus privatus sine episcopi auctoritate, potest locum sacrum, vel rem spiritualem constituere, arg. c. *Ad hæc*. 4. *de Religios. domib.* ac notat Gonzalez cit. Gloss. 5, n. 7.

17. *Requisita, seu qualitates, ex quibus cognoscantur beneficia ecclesiastica, sunt sex; et quæ?* — Quæritur III. Quæ sint requisita, seu qualitates, ex quibus cognoscantur beneficia ecclesiastica? Resp. Talia requisita potissimum esse sex, quæ enumerant Abbas consil. 47. n. 1. lib. II. Card. Tuschus litt. B. Concl. 54. n. 5. Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 37. n. 141. Gonzalez ad reg. *Cancell.* Gloss. 5. n. 6. et seqq. et Pyrrhus Corradus d. lib. I. *Praxis beneficiar.* cap. I. n. 12. per quinque sequentia capita fuse de singulis disserens. Primum requisitum est, quod beneficium ecclesiasticum episcopi auctoritate sit erectum: juxta proxime dicta. Secundum, quod habeat aliquid spiritualitatis annexum; puta, quod detur propter divinum officium: secus si pars reddituum ecclesiasticorum daretur propter ministerium mere temporale, v. g. cantori ædituo, et hujusmodi, pro laboribus suis laicalibus. Tertium, quod conferatur a persona ecclesiastica, puta, a Papa, vel episcopo; non vero a laico: nam laici non possunt conferre beneficia ecclesiastica (haud obstante, quod jus patronatus eisdem competat, sicque idoneum clericum ad beneficium vacans præsentare valeant) sed ea conferunt soli Ecclesie Prælati, horumque officiales, c. *Ex frequentibus*. 3. *de Institut.* et can. *Si quis deinceps*. et can. *Si quis Clericus*. et can. *Nullus laicorum*. 16. q. 7. Quarto, quod conferatur clerico, non laico. Quinto, quod sit perpetuum, juxta dicta in explicatione definitionis beneficii. Sexto, quod sibi non possit retineri, sed necessario sit conferendum alteri, cap. ult. *de Institution.*

18. *Uno eorum deficiente, beneficium dici non potest: secus, si omnia concurrant, quocumque nomine appelletur. Non est vis in nomine, sed debet attendi natura rei.* — Porro, si unum præmissorum requisitorum deficiat, beneficium ecclesiasticum dici non potest: nam hæc omnia sunt substantialia in bene-

ficio. Pyrrhus Corradus, ubi supra; Gonzalez, d. gloss. 5, n. 16, citans Rotam, decis. 508, n. 3 et 4. part. I. *Divers.* et alios. Siquidem ubi plura requiruntur ad substantiam alicujus rei, uno deficiente, nihil censetur actum: ut l. *Si unus C. de Testament.* Quod si vero prædicta concurrant, non est curandum, quo nomine beneficium appelletur, sive dicatur beneficium, sive officium, aut præstimonium, vel pensio, quia non est vis in nomine, sed potius attendi debet natura rei, arg. l. *Si uno anno*. § I. ff. *Locati*. et c. *Eaque*. 16. *de Simonia*. Abbas cit. consil. 47, n. 2. part. II, Felinus c. *in nostra*. n. 9. vers. *De quarto. de Rescript.* Gonzalez loc. cit. n. 16.

§ II.

DE MULTIPLI DIVISIONE BENEFICIORUM: UBI PLURA DE BENEFICIO MANUALI.

19. *Beneficium latissime sumptum; et beneficium principis proprie dictum, quid?* — Quæritur I. Quotuplex sit beneficium ecclesiasticum? Et additur notanter, « Ecclesiasticum: » quia hic non agitur de « Beneficio latissime sumpto. » prout aliud non est, quam benevola actio tribuens gaudium capienti. Neque de « Beneficio principis proprie et stricte sumpto, » ac prout contra distinguitur a privilegio, et rescripto: nec aliud est, quam benevola actio, seu liberalitas quædam concessa sine alterius præjudicio præter jus commune; de quo jam dictum est supra, lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 17. n. 444. et 445. Igitur impræsentiarum solum agitur de beneficio ecclesiastico proxime explicato: quo prænotato.

20. *Beneficia ecclesiastica alia sunt majora, alia minora.* — Resp. I. Beneficium ecclesiasticum est multiplex, varieque dividitur. Et primo quidem ratione diversæ excellentiæ ipsorum, beneficia alia dicuntur majora, alia minora, « Beneficia ecclesiastica majora, » sunt papatus, cardinalatus, patriarchatus, archiepiscopatus, et episcopatus: quibus Vallensis h. t. § 2, n. 1, Garcias part. I. *de Beneficiis*, cap. VI. n. 2. et alii, etiam addunt Abbatiam. Cætera vero his inferiora, censeantur beneficia minora.

21. *Notabilis differentia inter hæc illa appellantur Culmina dignitatum.* — Est autem notabilis differentia inter hæc. Siquidem beneficia majora communi nomine *Beneficii*, ac

nisi secus exprimatur, in materia odiosa et pœnali non solent comprehendi: cum sint culmina dignitatum, prout appellantur cap. penult. seu c. *Venerabilis*. 37. h. t. Unde dispensatio impetrata ad omnia beneficia, non extenditur ad episcopatum, propter eminentiam dignitatis, quæ est speciali nota digna. Pirhing h. t. numer. 9, cum aliis. Nam dispensatio, tanquam vulnerans jus commune, est odiosa et stricte accipienda, cap. I. *de Filiis presbyt.* in 6. ac notat Fagnanus c. *Mandato*. n. 33. *de Simonia*, Vallensis, h. t. § 2. n. 1. estque ex professo dictum supra, lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*, § 18. n. 431. et seqq.

22. *Beneficium regulare, et sæculare, quod?* — Resp. II. Ratione diversi status hominum, quibus conferenda sunt, beneficia ulterius dividuntur in regularia, et sæcularia. Beneficium regulare est, quod solis regularibus competit. Sive dein id contingat ex primæve fundatione, seu institutione; ut abbatia, prioratus, et hujusmodi: sive ex consuetudine, seu legitima præscriptione, eo quod per regulares regi consueverit, et administrari, per quadraginta saltem annos, c. *Cum de Benefic.* 5. juncta Glossa fin. *de Præbend.* in 6, Rebuffus in *Praxi beneficiorum*, tit. *Regularia beneficia*. n. 1.; Garcias, *de Beneficiis*, part. VII, cap. x, n. 1. allegans alios. Beneficium sæculare e contra dicitur, quod addictum, et debitum est sæcularibus clericis: id est, illis, qui nullam sunt professi regulam, sed in sæculo militant, et serviunt Deo sub statu clericali.

23. *Beneficia omnia censeantur sæcularia, donec contrarium probetur.* — Ubi sciendum, quod omnia beneficia censeantur sæcularia, nisi contrarium probetur. Garcias part. I. *de Beneficiis*, cap. VI. n. 11 et 12. post Rotam, decis. 2. *de Præbend.* alias 32. *In novis*; card. Tuschus, litt. B. concl. 54, n. 4; Navarrus, consil. 3. *de Præbend.* n. 1; Zerola, part. II. *Praxis episcop.* *ŷ. Beneficium* vers. *Decimo secundo*, Vallensis h. t. § 2. n. 9, Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *Quotuplex sit beneficium*. n. 3. et Mascardus *de Probation.* concl. 172. n. 1. asserens, istud ab omnibus esse receptum. Quia (inquiunt) postquam D. Petrus fuit clericus sæcularis, præsumitur, ita beneficia fundata fuisse sequendo illum primum parochum.

24. *Et qua ratione istud probari possit? In beneficiis (imo et in aliis causis) debet attendi ultimus status.* — Additur notanter, « donec